De temporis et loci unitatibus a Seneca tragico observatis

Dissertatio inauguralis

quam amplissimi

philosophorum Vratislaviensium ordinis

consensu et auctoritate

ad summos in philosophia honores

rite capessendos scripsit

Adolphus Marek

Silesius

Die VII mensis Augusti a. MCMIX hora XII

disseret doctorandus in aula musica

„De chori in Senecae tragoediis usu“

deinde erit promotio

Vratislaviae

Typis A. Favorke

MCMIX.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
Franciscus Skutsch

Examen rigorosum habitum est die XXVII mensis Februarii

Francisco Skutsch

sacrum

Vtrum tragoediae, quae sub Senecae nomine ad aetatem nostram pervenerunt, omnes in pulpito repraesentatae an modo scriptae sint, ut recitarentur, certe diiudicari non potest, cum veteres scriptores nihil de ea re memoriae tradiderint[1]). Neque dubitandum est, quin in nonnullis fabulis res quaedam inveniantur, quae, si traegoedias Graecas respicimus, valde obstitissent, quominus in scaena agerentur; quarum exempla requirenti occurret in Medea fabula id, quod Medea liberos coram populo trucidat, in Phaedra, quod membra Hippolyti dilacerati ante omnium oculos colliguntur et in priorem formam componuntur, quodque Hercules reversus in Hercule furente fabula paene in conspectu auditorum uxorem liberosque occidit. Quibus rebus innixus Boissier[2]) verisimile esse negat fabulas unquam ante populi oculos actas esse. Quam caducae causae ab eo prolatae sint, neminem fugiet, qui sibi in memoriam revocaverit artem consuetudinemque scaenicam poetarum saeculi p. Chr. n. primi nobis plane ignotam esse, cum tragoediae Ovidii, Pomponii Secundi aliorumque, quas repraesentatas esse testimoniis scriptorum veterum[3]) demonstratur, iniuria temporum perierint[4]).

Quod Boissier praeterea commemorat, neque Seneca, philosopho gravissimo religiosissimoque, dignum futurum fuisse tragoedias conscribere, in quibus res tam immanes magisque idoneae ad populum in ludis circensibus quam in theatro commovendum invenirentur[5]), neque compositionem fabularum, quae orationibus

---

[1]) G. Boissier, Les tragédies de Sénèque ont-elles été représentées? in Journal de l'instruction publique, Paris 1861, p. 438.

Lindskog, Studien z. antiken Drama, 1897, p. 51.

[2]) Boissier l. c.

[3]) cf. Boissier l. c. p. 438 sq.

[4]) Ex eo, quod Horatius A. P. v. 185 sqq. res tam horribiles ante spectatorum oculos agi vetat, suspicari possumus fuisse poetas quosdam tragicos, qui in hac re peccarent; cf. etiam scholia in Aiacis Sophocleae v. 815.

[5]) cf. Boissier l. c. p. 448.

ampliorem locum concedat quam actionibus, satisfacturam fuisse spectatoribus Romanis, minimi momenti esse mihi videtur, cum perversum esse arbitrer contendere ea, quae Franco-Gallis saeculi p. Chr. n. undevicesimi displiceant, Romanis quoque saeculi primi displicuisse [1]).

Nihil igitur impedit, quin fabulas re vera in pulpito repraesentatas esse credamus [2]); immo vero haec opinio etiam ea re fulcitur, quod Seneca nonnulla praecepta artis tragicae Graecae studio acerrimo quamvis hic illic commutata observat [3]), velut numerum trium actorum, quem numerum in plerisque fabulis non egreditur, in eis autem, in quibus plus tres actores in sceana sunt, ita retinet, ut quarta persona muta adstet [4]).

In alia quoque re Seneca poetas tragicos Graecos secutus est. Poetae enim Graeci, cum illis temporibus, priusquam fabulae pulpito traderentur, spectatoribus non notum esset, quas partes singuli actores acturi essent, personas novas in scaenam prodeuntes versibus nonnullis annuntiare solebant, quem morem Senecam in usum suum convertisse Habrucker [5]), Leo [6]), Lindskog [7]) demonstraverunt.

Sed ne diutius versemur in re tam dubia, quam priusquam certa litterarum documenta eruantur, diiudicari posse vix crediderim, iam transeamus ad ea, quae hac commentatione disquirere nobis proposuimus, num Seneca supremam quoque legem artis dramaticae Graecae observaverit, scilicet unitates temporis et loci, quibusque artificiis eas effecerit.

Qua in quaestione examinanda primum aggrediemur ad sex illas tragoedias, quae inscribuntur Hercules furens, Phaedra,

---

[1]) Quod Boissier ipse sensisse videtur; dicit enim p. 448: „A les prendre par leur côté extérieur, c'est-à-dire par l'appareil de la représentation et les jeux de scène qu'elles exigent, on n'y trouve rien, qui, à la rigueur, ne puisse se produire sur un théatre véritable et il n'y a pas d'impossibilité complète a les représenter.“

[2]) cf. Leo, De Senecae tragoediis observationes criticae, p. 82 sq.; Lindskog, l. c. p. 48 sqq.; Schanz, Römische Literaturgesch. [2]II, p. 53 sq.

[3]) cf. Peiper, Praefationis in Senecae tragoedias nuper editas suppl., Vratislaviae 1870, p. 6; Leo, l. c. p. 174 sqq.; Lindskog, l. c. p. 54 sqq.

[4]) Weil, Revue archéol. 1865 p. 21 sqq.

[5]) Habrucker, Quaestionum Annaeanarum capita IV, Regimonti 1873, p. 34;

[6]) Leo, Observ. crit. p. 96.

[7]) Lindskog l. c. p. 29.

Oedipus, Agamemno, Thyestes, Medea[1]) quod in his mihi ratio investigandi alia adhibenda esse videtur atque in Troadibus, Phoenissis, Hercule Oetaeo, quas altera parte dissertationis meae perlustrabo; postremo autem loco nonnulla addam de Octavia praetexta, quam, etsi una cum reliquis tragoediis ad aetatem nostram pervenit, tamen ex Senecae officina non exisse viri docti consentiunt[2]).

I. De Hercule furente, Phaedra, Oedipo, Agamemnone, Thyeste, Medea fabulis.

A. De temporis et loci unitatibus in his sex tragoediis observatis.

1. Prima igitur quaestio erit, num sex illae tragoediae, de quibus primum acturus sum, quo die incipiunt, eodem ad finem perducantur.

§ 1. In Hercule furente legem illam valere facile est intellectu. Iunonem enim initio fabulae nocte de caelo descendisse cum inde apparet, quod sidera ad caelum affixa videt (cf. v. 6 sqq.), tum e verbis deae, quae extremo prologo profert, colligi potest (v. 123 sq.):

clarescit dies
ortuque Titan lucidus croceo subit.

Postquam Iuno de pulpito decessit, chorus parodo diem orientem celebrat; cf. v. 125 sqq.:

iam clara micant sidera prono
languida mundo; nox victa vagos

---

1) In versibus adnotandis secutus sum editionem a Peipero et Richter anno 1902 curatam.

2) Ex magno numero eorum, qui de Octavia scripserunt, mihi liceat hos proferre: Vater, Über d. Oktavia, Jahns Jahrb. vol. 19 (1853) p. 565 sqq.; Braun, Die Tragödie Oktavia u. die Zeit ihrer Entstehung, Kiel 1863 Ladek, De Octavia praetexta, 1891, Diss. Vindob. t. III, p. 1 sqq.; Nordmeyer, De Octaviae fabula, Jahrb. f. Philol. Suppl. 19 (1893) p. 255 sqq.

contrahit ignes luce renata,
cogit nitidum Phosphorus agmen;
. . . .
iam caeruleis evectus equis
Titan summa prospicit Oeta.

In reliquis quoque partibus huius tragoediae loci inveniuntur, quibus elucet actionem eodem die, quo coeperit, progredi. Hercules enim, ubi primum in pulpitum prodiit, a Phoebo *lucis almae rectore* (v. 592) veniam petit, quod Cerberum in lucem protraxerit. Quod certe non petivisset, si nocte domum revertisset. Atque Lyco interfecto dum ad aram dis sacrificat, subito furore incensus caelum caligine densa operiri putat; cf. v. 939 sq.:

sed quid hoc? medium diem
cinxere tenebrae.

Atque Megara liberisque a patre trucidatis chorus Solem quasi participem doloris communis alloquitur his verbis (v. 1054 sqq.):

lugeat aether, magnusque parens
aetheris alti tellusque ferax
et vaga ponti mobilis unda
tuque ante omnes, qui per terras
tractusque maris fundis radios
noctemque fugas ore decoro,
fervide Titan etc.

quae demonstrant diem etiam tum esse. In reliqua tragoediae parte nullus locus exstat, quo nisus negare possis unitatem temporis a poeta observatam esse.

§ 2. Eadem lex in Phaedra quoque valet, quam mane incipere nos edocent verba Hippolyti, qui famulos suos omnes res ad venationem necessarias parare iubet; cf. v. 38 sqq.:

veniet tempus,
cum latratu cava saxa sonent;
nunc dimissi nare sagaci
captent auras
lustraque presso quaerant rostro,
dum lux dubia est, dum signa pedum
roscida tellus impressa tenet.'

Atque etiam ceteras res, quas poeta hac tragoedia nobis ante oculos ponit, eodem die geri e declamatione Hippolyti explicantis, quantopere se impudicitiae matris taedeat, cognoscere possumus; cf. v. 674 sqq.:

omnis impulsus ruat
aether et atris nubibus condat diem
ac versa retro sidera obliquos agant
retorta cursus. tuque, sidereum caput,
radiate Titan, tu nefas stirpis tuae
speculare?

idemque colligi potest e verbis, quibus Phaedra Hippolytum apud Theseum calumnians utitur (v. 888 sqq.):

te, te, creator caelitum, testem invoco
et te, coruscum lucis aetheriae iubar,
ex cuius ortu nostra dependet domus,

et e devotione Thesei, qui postquam scelus ab uxore fictum audivit, Iovem orat, ut caelum nubibus operiat (v. 955 sqq.).

In extrema fabula Theseus ossa filii necati colligi iubet, quod fieri non poterat, si dies evanuisset.

§ 3. Iam ut ad Oedipum transeam, in hac quoque fabula poeta initium actionis cum initio diei coniungit; cf. v. 1:

iam nocte Titan dubius expulsa redit.

Postquam Creo obscurum oraculi Delphici responsum attulit et ne Tiresiae quidem sacrificio is detectus est, qui Laium interfecit, vates Laium ipsum ex inferis educere constituit. Quam rem ut perficiat, cum Creonte in lucum quendam se confert, de quo Creo regi res ibi gestas enarrans dicit (v. 549) *praestitit noctem locus,* quod supervacuum et absurdum esset, si nox interea venisset. Quam inter tragoediae partem et reliquam actionem, qua poeta, postquam senem Corinthium et Phorbam prodeuntes fecit, Oedipodis et Iocastae sortem crimine detecto describit, plurium dierum spatium interesse nullo modo demonstrari potest.

§ 4. Agamemnonem quoque fabulam paulo ante lucem orientem incipere verba Thyestis indicant (v. 53 sqq.):

sed cur repente noctis aestivae vices
hiberna longa spatia producunt mora
aut quid cadentes detinet stellas polo?
Phoebum moramur? redde iam mundo diem.

Atque postquam Clytaemestra consilium regis trucidandi professa est, Eurybates ab Agamemnone missus advenit et reginae enuntiat, quanta mala Graeci redeuntes in mari perpessi sint. Paulo post Cassandra et turba Iliadum prodeunt, et brevi spatio intermisso Agamemno ipse, qui nonnulla cum Cassandra locutus in regiam intrat. Subito Cassandra divino quodam spiritu inflata videt, quae intus agantur, et Agamemnonis caede descripta dicit (v. 908 sq.):

stat ecce Titan dubius emerito die,
suane currat an Thyestea via,

quae verba nos edocent diem valde progressum sed nondum peractum esse. Cassandrae oratione finita Electra e regia cum fratre, quem Strophio auferendum tradit, provolat. Brevi post Clytaemestra et Aegisthus domo egressi Electram in vincula conici et Cassandram necari iubent. Quem extremum actum intra eiusdem diei terminos geri quamquam nullo versu allato affirmare possum, tamen verisimillimum est.

§ 5. Qua cum tragoedia Thyestes quoque consentit. Tantali enim umbram et Furiam nocte vel die oriente apparere Furia ipsa indicat verbis, quae domo Atrei inferis devota profert (v. 120 sq.):

en ipse Titan dubitat, an iubeat sequi
cogatque habenis ire periturum diem.

Parodo autem finita postquam Atreus in scaenam progressus consilium suum improbum cum satellite communicavit, dei ipsi scelus reformidare videntur, nam (v. 262 sq.)

imo mugit e fundo solum,
tonat dies serenus.

Caedem quoque filiorum Thyestis et cenam illam nefariam eodem die fieri inde conici potest, quod nuntius narrat Solem medio die scelere conspecto currum suum revexisse; cf. v. 789 sqq.:

quo, terrarum superumque parens,
cuius ad ortus noctis opacae
decus omne fugit, quo vertis iter
medioque diem perdis Olympo?
cur, Phoebe, tuos rapis aspectus?

(cf. etiam v. 891 sq., v. 990 sq., v. 1085).

§ 6. Restat, ut de Medea agam, quae a consuetudine tragoediarum, quas adhuc tractavi, eo abhorret, quod actio non prima luce, ut in ceteris, sed magna parte diei peracta incipit.

Quod quidem non tam demonstratur eis, quae Medea ipsa in prologo profert (v. 28 sqq.):

spectat hoc nostri sator
Sol generis, et spectatur, et curru insidens
per solita puri spatia decurrit poli?
non redit in ortus et remetitur diem?

quam elucet e verbis chori, qui parodo finita faces accendi iubet (v. 111):

multifidam iam tempus erat succendere pinum.

Quae cum ita sint, tamen haec quoque fabula arto vinculo unius diei continetur; nam postquam Medea a Creonte e regni finibus decedere iussa (v. 297) fatalia illa dona per liberos suos Creusae misit, chorus ut tandem nox veniat his verbis precatur (v. 874 sqq.):

nunc, Phoebe, mitte currus
nullo morante loro,
nox condat alma lucem,
mergat diem timendum
dux noctis Hesperus.

Reliquam vero fabulam, qua Medea liberis trucidatis curru alite aufertur, nocte vel die sequente peragi neque ullo verbo declaratur neque est verisimile, unde efficitur, ut haec quoque fabula legi illi Graecorum respondeat.

Satis igitur demonstravisse mihi videor actionem harum sex tragoediarum finibus unius diei coartatam esse.

2. Sequitur, ut perscrutemur, num locus, quo actio geritur, ab initio usque ad finem fabulae idem maneat. Qua in re tractanda praecipue haec difficultas nobis occurrit, quod, ut supra commemoravi, non constat, utrum fabulae in scaena actae an recitatae sint. Nam cum in fabulis Graecis, quas re vera actas esse scimus, de unitate loci, quae erant res scaenicae Graecorum, dubitari non possit, in Senecae fabulis quo quisque actus loco agatur, singillatim nobis erit disquirendum.

§ 7. Transeamus igitur ad Herculem furentem. Cuius fabulae pars gravissima sine ullo dubio existimandus est actus quartus, in quo Hercules furore subito correptus Megaram suosque liberos pro Lyci progenie trucidat; quam partem ante regiam peragi poeta verbis Herculis indicat (v. 1001 sq.):

perlucet omnis regia: hic video abditum
gnatum scelesti patris.

Unde sequitur, ut extremus quoque actus ante regiam agatur. Nam cum Hercules sub finem actus quarti coram spectatoribus in somnum incidat (v. 1042 sqq.) et initio quinti rursus excitetur (v. 1138) facinusque a se commissum videat (v. 1159 sq.), fieri non potest, ut interea scaenam mutatam esse arbitremur. At quo modo loci unitas in ceteris actibus observata est? Ac primo quidem in actu Iuno *προλογίζουσα* nihil certi de loco profert, sed cum de iniuria Alcmenae queratur et (v. 100 sqq.) furias Herculi reverso insaniam furoremque inicere iubeat, nihil impedit, quin illam ante regiam Thebanam stare putemus. Prologo finito chorus carmen cantat, quod omni significatione loci caret. Deinde Amphitryo cum filia nepotibusque prodit, ut ad aram deos orent, ne diutius Herculem procul a patria retineant (cf. v. 205 sqq.). Quam aram *deorum praesidum* (v. 356) eandem esse atque illam, apud quam Hercules Lyco interfecto sacrificat (v. 898 sqq.), mihi vel ea de causa verisimillimum videtur, quod Lycus eo pervenit (v. 329) e regia, ut suspicari possumus, progressus. Atque hoc actu comperimus aram cum templo quodam coniunctam esse; Lycus enim minans se totam gentem Herculeam eversurum esse Megaram his verbis atrocibus alloquitur (v. 503 sqq.):

complectere aras: nullus eripiet deus
te mihi . . . .
. . . .
congerite silvas: templa supplicibus suis
iniecta flagrent, coniugem et totum gregem
consumat unus igne subiecto rogus.

Idem demonstrare videntur verba Amphitryonis, qui postquam Herculis gradu solum et templa moveri sensit, haec exclamat (v. 520 sqq.):

cur subito labant
agitata motu templa? cur mugit solum? etc.

Postquam Lycus abscessit, chori cantico interposito Hercules advenit in locum a prioribus personis relictum, ut edocemur verbis eius (v. 616 sq.):

sed templa quare miles infestus tenet
limenque sacrum terror armorum obsidet?

Paulo post Amphitryo et Megara rursus adsunt et Hercule ad Lycum interficiendum egresso Theseus inferorum sedes resque ibi gestas describit. Qua narratione finita chorus Herculem reversum celebrat. Videmus igitur in hac quoque fabula unitatem loci observatam esse.

§ 8. Idem convenit in Medeam fabulam, in qua quamquam ex prologo intellegimus scaenam Corinthi esse (v. 35, 45), tamen chori demum verbis edocemur tragoediam ante regiam agi. Nam cum hoc die nuptiae Creusae celebrentur, per se verisimile est chorum, qui hymenaeum canit, ante domum regis consistere, quod his quoque versibus affirmatur (v. 56 sqq.):

ad regum thalamos numine prospero
qui caelum superi quique regunt fretum
assint cum populis rite faventibus.

Atque cum Medea, ut e verbis eius (v. 116):

occidimus, aures pepulit hymenaeus meas

intellegitur, hymenaeum audiverit, colligere possumus eam tum quoque, cum prologum diceret, ante regiam stetisse. Postquam Medea, ut iniuriam suam ulcisceretur, minata est se regiam accensuram esse (v. 147), Creo prodit a Medea his verbis indicatus (v. 177 sq.):

sed cuius ictu regius cardo strepit?
ipse est Pelasgo tumidus imperio Creo;

qui Medea in exilium ire iussa (v. 297 sq.) in regiam revertitur; cf. v. 299 sq.:

sacra me thalami vocant,
vocat precari festus Hymenaeo dies.

Carmine sequente, quo chorus explicat nihil audaciae hominum arduum esse, finito Medea in regiam irrumpere conatur (v. 380), sed a nutrice aegre retinetur et lenitur. Qua ex parte intellegitur actum tertium aeque ac superiores ante regiam perfici, nam colloquium Medeae et Iasonis (v. 441—559) alibi fieri nihil habemus cur suspicemur. Atque initio quarti actus nutrix nobis describit, quo modo Medea artem suam magicam exercuerit in *penetrali funesto* (v. 676) illo, tum Medea ipsa prodit et coram

spectatoribus opus perficit, quo peracto liberos cum donis domum regiam mittit (v. 847 sq.). Igitur etiam quartus actus non alio loco repraesentatus erat. Atque extremum actum ante regiam agi vel inde apparet, quod Medea nuntio caedis allato in tectum regiae ascendit et ibi in conspectu Iasonis filios perimit (cf. v. 973, 995).

§ 9. Neque Phaedra fabula abhorret ab illa lege scaenica. Initium enim fabulae Athenis agi vel inde apparere puto, quod Hippolytus v. 2 *Cecropios* alloquitur eosque canes e stabulis ad venandum educere iubet. Atque totam hanc declamationem ante regiam fieri quamquam nulla re certe indicatur, tamen nihil obstat, quin suspicemur. Postquam Hippolytus, ut ipse dicit (v. 83), in silvas abscessit, Phaedram cum nutrice de amore suo nefando disputantem videmus. Feminas Athenis versari eo intellegere possumus, quod Phaedra dicit se amore insano ardentem consuetudinis ceterarum Atheniensium taedere (v. 106 sqq.) et quod deliberans, num sibi ipsa mortem consciscat, dubitat, utrum laqueo vitam finiat an de *arce Palladia* (v. 260) se deiciat. Alio autem loco atque ante regiam hanc disputationem peragi verisimile non est.

Phaedra digressa chorus vi amoris descripta nutricem de valetudine reginae interrogat, atque postquam illa explicavit, quo morbo regina vexetur, subito portis regiae patefactis regina ipsa cernitur (v. 384 sqq.). Tum nutrix rata sibi non cunctandum esse, quin Phaedrae medeatur, Dianam implorat, ut sibi in Hippolyto temptando adsit, et cum Hippolytus interea advenerit (v. 424), ei persuadere conatur, ut amori novercae obsequatur. Inopinata Phaedra *impatiens morae* (v. 583) ipsa proruit, quam Hippolytus vix gladio arcere potest. Phaedra autem, cum intellegat se nihil assequi posse, famulos auxilio vocat simulans se ab Hippolyto, qui praeceps gladio relicto aufugiat (v. 728), vi petitam sse; deinde ipsa abit (v. 734).

Initio tertii actus Theseum ab inferis reversum videmus, qui ante regiam progressus flebilem vocem audit (v. 850 sqq.) et postquam comperit hos fletus Phaedrae esse, *clausos regii postes laris* (v. 863) reserari iubet. Tum Phaedra prodit et Hippolytum nefarii stupri accusat, qua re iratus rex filium inferis devovet.

Brevi carmine interiecto nuntius quale leti genus Hippolytus obierit narrat (v. 1000 sqq.).

Initio actus quinti clamor Phaedrae e regia auditur (v. 1154), atque brevi post regina proruit et crimen suum confessa se ipsa gladio percutit (v. 1197). Finitur tota fabula eo, quod Theseus de omnibus rebus suis desperans lacerata membra filii colligi iubet (v. 1247 sq.), ut Hippolyto iusta faciat. Igitur hanc quoque fabulam totam uno loco peragi multis de causis manifestum est.

§ 10. Neque aliter res se habet in Oedipo, cuius fabulae initio rex ipse ad aram deos orat, ut pestem diram ab urbe avertant (v. 71 sqq.). Quam aram alio loco atque ante regiam stare vel ea de causa verisimile non est, quod ex toto illo actu non eluceret, cur rex et regina sole oriente procul a regia vagarentur.

Atque secundum actum ante regiam esse statim ab initio Oedipus ostendit, qui Creontem Delphis reversum his verbis annuntiat (v. 202 sq.):

quisnam ille propero regiam gressu petit?
adestne clarus sanguine ac factis Creo?

Eo etiam Tiresias et Manto veniunt (v. 288 sq.), qui hoc actu finito abeunt.

Bacchi laudibus a choro celebratis (v. 403—509) Creo redit et postquam Lai responso enarrato Oedipodis iussu in carcerem coniectus est, rex *ad penates regios*, ut ipse dicit (v. 708), se confert, unde sequitur, ut tertius quoque actus ante regiam peragatur.

Initio quarti actus regem et reginam ante regiam versari et inde apparet, quod legatus Corinthius, quem regiam petere consentaneum est, eos statim invenit, et e verbis regis ipsius elucet, qui postquam Phorba advocato comperit, cuius mulieris filius maritusque sit, in regiam irrumpit haec proferens (v. 880 sq.):

i, perge, propero regiam gressu pete:
gratare matri liberis auctam domum.

Brevi post nuntius e domo ipsa, ut chori verbis (v. 911 sq.) edocemur, egressus tristem sortem regis describit. Atque postquam chorus inevitabilem vim fati cecinit, subito portas sonare audimus (v. 995), et Oedipus oculis effossis egreditur, quem brevi post Iocasta secuta (v. 1004) coram populo se trucidat, quo facto

Oedipus in exilium proficiscitur. Videmus igitur in hac quoque fabula actionem uno loco ad finem perduci.

§ 11. Neque abhorret ab hac consuetudine Agamemno fabula. Ibi enim ex ipsis primis versibus cognosci potest Thyestis umbram ante regiam stare (v. 6 sqq.):

> video paternos, immo fraternos lares.
> hoc est vetustum Pelopiae limen domus etc.

Chori primo cantico finito Clytaemestra cum nutrice et paulo post cum Aegistho de coniuge interficiendo colloquitur. Quod colloquium eodem loco atque prologum fieri nihil impedit quin arbitremur.

Atque initio sequentis actus ut Eurybates ab Agamemnone ad Clytaemestram missus ad regiam adeat res ipsa postulat. Qui postquam reginae narravit, quae tempestas in mari classem Graecorum iactavisset, Cassandra et chorus feminarum Troianarum adveniunt neque multo post Agamemno ipse (v. 778 sqq.), qui domum ingressus intra regiam trucidatur, quod e verbis Cassandrae (v. 867)

> res agitur intus magna par annis decem

cognoscimus. Scelere perfecto Electra provolat et Strophio, qui gratulandi causa Mycenas profectus est (v. 919), Orestem puerum servandum tradit. Quo digresso Clytaemestra sanguine Agamemnonis caesi maculata cum Aegistho provenit et Electram in carcerem conici, Cassandram supplicio affici iubet. Igitur ne in hac quidem fabula ulla re indicatur loci unitatem violatam esse.

§ 12. Restat, ut de Thyeste nonnulla addam. Qua in fabula regiam Mycenensem repraesentatam esse et e colloquio Tantali et Furiae (cf. v. 24. 52. 83, 101 sq.) et in secundo actu ex Atrei verbis, quibus explicat, quanta ira in fratrem flagret, colligi potest; cf. v. 190 sq.:

> haec ipsa pollens incliti Pelopis domus
> ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.

Ac Thyestes a fratre accersitus tertio actu domum reversus v. 404 *optata patriae tecta et Argolicas opes* cernit.

Neque quarto in actu, qui narratione nuntii de sacrificio horribili Atrei expletur, ullo modo probabile est chorum, quem nuntius alloquitur, interea alio migravisse. Extremus denique actus ut alibi peragatur vel ea de causa fieri non potest, quod

Atreus foribus reseratis (v. 901) fratrem suum apud cenam sedentem ostendit.

Ex iis igitur, quae adhuc protuli, constare mihi videtur Senecam praeter leges scaenicas, quas initio huius dissertationis commemoravi (cf. p. 2 sq.), etiam unitatis temporis et loci rationem habere.

B. De artificiis, quibus adhibitis unitates temporis et loci efficiuntur.

Sequente autem parte commentationis perquiremus, et quibus artificiis usus Seneca unitates illas effecerit et quo modo in artificiis adhibendis secutus sit poetas Graecos[1]), quos quin praecipue sibi ad imitandum proposuerit, nemini dubium esse potest[2]).

1. De artificiis, quibus temporis unitas efficitur.

§ 13. Ac primum quidem temporis unitatem examinantibus nobis occurret Senecam ut plerosque poetas scaenicos saepissime intervalla temporum et locorum non respicere[3]).

Cuius rei Hercules furens[4]) fabula optimum exemplum praebet. Hercules enim postquam furore incensus uxorem liberosque necavit, gravi somno victus humi procumbit (v. 1050—52).

---

[1]) cf. Felsch, Quibus artificiis adhibitis poetae tragici Graeci unitates illas et temporis et loci observaverint, Breslauer Philol. Abhandl. t. IX, 1907. De temporis et loci unitatibus in comoedia nova observatis dissertationem brevi Polczyk commilito Vratislaviensis publici iuris faciet.

[2]) Fabulas poetarum Romanorum, qui aetate rei publicae liberae florebant, Senecam non imitatum esse, Strauß Leone auctore affirmavit: cf. Leo, Plaut. Forsch. p. 14; Fr. Strauß, De ratione inter Senecam et antiquas fabulas Romanas intercedente, Rostochii 1887; cui obloquitur R. Schreiner, Seneca quomodo in tragoediis usus sit exemplaribus Graecis, p. 12 sqq. (progr. Straubing 1907), neque vero quae hic profert magni ponderis esse mihi videntur.

[3]) cf. Felsch l. c. p. 30; Melzer, De Herc. Oetaeo Annaeana p. 13 (progr. Chemnitz 1890).

[4]) Hanc fabulam cum Euripidis tragoedia comparaverunt: Leo, observ. crit. p. 160; Werner, De L. Annaei Senecae Hercule, Troadibus, Phoenissis quaestiones, Lips. 1881; W. A. Swoboda, L. A. Senecas Tragoedien nebst den Fragmenten der übrigen römischen Tragiker übersetzt; Wien 1825—30, t. III. p. 311 sqq.

Quo e somno poeta eum brevi post excitat (v. 1138), quod quamquam parum verisimile iudicandum est, tamen aequo modo ab Euripide quoque tractatum invenimus. Cuius in fabula, quae *Ἡρακλῆς* inscribitur, postquam Lyssa et Iris in regiam invaserunt (v. 874), post chori canticum nuntius advenit, qui Herculis insaniam describit (v. 922 sqq.). Deinde portis patefactis Herculem dormientem et uxorem liberosque necatos (v. 1029) atque brevi post (v. 1069) Herculem e somno excitatum spectamus. Quamvis igitur uterque poeta in hac re non tam naturam rerum quam artem scaenicam secutus sit, tamen quantopere Euripides, quod ad artem scaenicam attinet, sectatorem suum superaverit, hoc ipso exemplo luculentissime apparet. Eo enim, quod apud Euripidem Hercules facinus immane intra aedes committit, poeta Graecus efficit, ut nuntii adventu interposito et corporibus uxoris liberorumque et Hercule dormiente ipso productis actio ita varietur, ut nisi spectator attentissimus nemo sentiat, quantopere poeta a veritate rerum recesserit. At in Senecae fabula, in qua Hercules, ubi primum chorus carmen suum finivit, nulla alia re interveniente e somno excitatur, vitium illud artis omnium oculis patet.

Quo artificio adhibito Phaedra[1]) quoque Senecae cum Euripidis Hippolyto consentit, quamquam in hac fabula componenda poeta praecipue Euripidis Hippolytum velatum deperditam secutus est[2]). In Senecae enim tragoedia brevi postquam Theseus filium devovit (v. 945 sqq.), nuntius nos de morte Hippolyti certiores facit (v. 1000 sqq.), itemque apud Euripidem postquam Hippolytus a patre in exilium missus de scaena decessit (v. 1101), nuntius advenit (v. 1151), qui Hippolytum monstro illi occurrisse narrat.

In Medea[3]) temporis spatium, quod interest inter Medeae abitum (v. 578) et adventum nutricis (v. 670), quae ex illa regione redit, in qua Medea artem suam magicam exercuit, iusto brevius

[1]) cf. I. H. Boecler, Comparatio inter Hippolytum Euripidis et Senecae, Diss. acad. t. II. p. 1159 sqq.; Swoboda, l. c. t. III, p. 223 sqq.

[2]) Leo, obs. crit. p. 173; Wilamowitz-Moellendorff, Euripides Hippolytos, Griech. u. Deutsch, p. 45 sqq.

[3]) cf. Leo, observ. crit. p. 163 sqq.; W. Braun, Mus Rhen. XXXII, p. 68 sqq.; Swoboda l. c. t. III, p. 33 sqq.; H. L. Cleasby, Harvard Studies t. XVIII (1907) p. 39 sqq.

est, quia *penetrale funestum* illud (v. 676) a regia longe abesse necesse est, et quod tota illa res magica nisi magno labore adhibito perfici non poterat.

Alia quoque res in Senecae fabula digna est, quae hoc loco commemoretur. Opinione enim celerius nobis nuntiatur (v. 879 sq.), quid vestis illa perniciosa Creusae oblata (v. 845 sqq.) effecerit. Videamus nunc, quo modo Euripides hanc rem tractaverit. Cuius in fabula postquam Medea liberos dona portantes dimisit (v. 969 sq.) et chorus sortem Creusae, liberis, Medeae ipsi imminentem deploravit (v. 976 sqq.), non statim ut apud Senecam de calamitate facta certiores fimus, sed paedagogus renuntiat Creusam dona accepisse (v. 1002 sq.), quo nuntio allato Medea dubitationes cogitationesque de liberis necandis aut servandis profert. Quam partem chori carmen sequitur (v. 1081 sqq.), quo peracto nuntius caedis prodit (v. 1118).

In Oedipode[1]) Tiresias sacrificium parari iubet (v. 299), quod tanta celeritate, quanta poeta voluit, nullo modo fieri potuit. Itemque haud verisimile esse videtur Creontem, qui una cum Tiresia in lucum se contulit, in quo Tiresias Lai umbram ex Erebo evocabat, tam brevi spatio redisse, praesertim cum lucus ille *procul ab urbe* (v. 530) situs esset. Vterque locus in tragoedia Sophoclea nihil habet, quocum comparari possit. Ac temporis spatium, quo Phorbas iussu regis a famulis adducitur (v. 823—838), apud Senecam quidem brevitate nos offendit, quod vitium Sophocles eo vitavit, quod inter discessum famuli (v. 1069), qui pastorem accersit, et reditum eius (v. 1110) chori carmen interposuit. Vterque autem poeta in eo necessitati scaenicae paruit, quod tempus, quo Oedipus, postquam scelere detecto domum abiit, se oculorum luce privat, iusto brevius instituit (cf. Senecae Oed. v. 882—910, Sophoclis Oed. v. 1185—1222).

Restat, ut proferam, quid earum rerum in Thyeste fabula invenerim, cuius in argumento tractando quem poetam Seneca secutus sit, statuere non possumus[2]).

---

[1]) cf. Braun, Mus. Rhen. XXII p. 245 sqq.; Jos. Köhler, De L. Annaei Senecae tragoedia, quae Oedipus inscribitur cum Sophoclis Oedipo rege comparata, (progr. Neuß 1865); Swoboda, III p. 178.

[2]) cf. Leo, observ. crit. p. 173; nuperrime hanc rem copiose tractavit Marchesi, Riv. di Filologia 1908, t. XXXVI, p. 70 sqq.

Qua in fabula (v. 330) Atreus filios suos dimittit, ut Thyestem exulem Mycenas revocent; atque paucis versibus a choro dictis Thyestes cum filiis in pulpito stat (v. 404).

In eadem tragoedia (v. 623 sqq.) Tantalum et Plisthenem, filios Thyestis, quos brevi ante salvos vidimus (v. 540—545), ab Atreo necatos et carnem extaque decocta esse nuntius narrat, quod tam brevi spatio factum esse credi non potest.

Cognoscimus igitur Senecam in tragoediis, quas tractavi, plerumque intervalla temporis et loci non maioris pendere quam poetas Graecos, in nonnullis autem, ut in Hercule furente, Medea, Oedipo temporis spatium etiam magis coerceri, ita ut quae res apud tragicos Graecos probabilitatem quandam prae se ferunt, eae apud poetam Romanum naturae rerum plane repugnent.

§ 14. Neque mihi praetermittendum est aliud artificium, quod poeta ad actionem finibus unius diei aptandam adhibet; res enim, quae nullo modo eodem die geri possunt, hoc brevi spatio peragit.

Cuius rei in Medea optimum exemplum exstat, qua in fabula, ut supra commemoravimus (p. 6 sq.), parodo finita vesper appropinquat. Tamen post septingentos circiter versus diem adhuc esse e chori verbis cognoscimus (v. 874 sqq.). Quod re vera fieri non potest, cum intra hoc tempus res gravissimae accidant: Medea enim consilium suum cum nutrice communicat, a Creonte regno decedere iubetur, ab Iasone repudiatur, vestem arte sua mortiferam reddit, dona per liberos Creusae mittit. Quod artificium, quamquam in Euripidis Medea non usurpatum est, tamen neque ab Aeschylo neque ab Euripide alienum esse Felsch[1]) demonstravit.

§ 15. Tertio loco mihi commemorandum esse puto res quasdam, quo actio celerius progrediatur, ante actionem initam perfici.

Huc pertinet, quod in Oedipode Creo ante diem actionis ad oraculum Delphicum missus est, quam rem Seneca cum Sophocle communem habet, cuius in fabula rex Creontem nonnullis diebus ante dimisit, ut Phoebum de Lai interfectore interrogaret[2]).

§ 16. Alio quoque modo poeta impedit, quominus actio in

---

[1]) Felsch l. c. p. 7, p. 56.

[2]) Felsch l. c. p. 28.

complures dies distribuatur; personas enim, quae quovis alio die non minus apte advenirent, illo ipso advenientes facit[1]).

Quo pertinet, quod in Oedipode aequo modo atque apud Sophoclem legatus Corinthius eo die advenit, quo Creo Delphis revertitur, in Phaedra, quod Theseus eodem die domum redit, quo Phaedra Hippolyto amorem suum confitetur. In hac autem fabula conscribenda Seneca ab Euripidis tragoedia eo valde recessit, quod quae res apud poetam Romanum casu in hunc diem congruunt, eae apud Euripidem quasi Veneris iussu, quae se a iuvene hoc die poenas expetituram esse minata est (v. 21, 22), accidunt[2]). Sed Euripides quoque in nonnullis tragoediis causam afferre omittit, cur singulae res in hunc diem conveniant[3]).

§ 17. Multo autem saepius poeta aliud artificium adhibet; personas enim res, quas, si vitam ipsam spectamus, iamdudum ab iis peractas esse consentaneum est, illo ipso die primum peragentes facit[4]).

Initio enim Herculis furentis Amphitryo et Megara Iovem orant, ut tandem Herculem ex Erebo remittat, qui crudelitati Lyci finem statuat. Quas preces illos iam antea frustra fecisse et verisimillimum est, quod Hercules multum temporis procul a patria versatur, et ex Amphitryonis verbis (v. 296) *iam statue tandem gravibus aerumnis modum* elucere videtur. Quo cum loco congruit colloquium Amphitryonis et Megarae, quod in Euripidis fabula post prologum ab Amphitryone dictum exstat (Eurip. Herc. v. 60 sqq.).

In Medea quoque parum verisimile est Medeam (v. 116 sqq.) illo die[5]) primum cum nutrice dolorem et consilia sua communicare, nec minus a probabilitate mihi abhorrere videtur Medeam non antea cum Iasone de nuptiis eius collocutam esse (v. 431 sqq.), quam scaenam ex Euripidis fabula (v. 446 sqq.) depromptam esse constat.

Atque in Phaedra nutrix certe iam antea comperit, quo morbo domina vexetur, praesertim cum chorus quoque sciat reginam

---

[1]) Felsch p. 30, 54.
[2]) cf. Felsch, p. 55; cf. etiam quae p. 20 de Herc. fur. dixi.
[3]) Felsch p. 55.
[4]) Felsch p. 22.
[5]) cf. p. 6 sq.

vehementi amoris impetu iactatam domi furere, quod e verbis eius, quae parodo finita profert, colligere possumus: cf. v. 358 sq.:

altrix, profare quid feras; quonam in loco est
regina? saevis ecquis est flammis modus?

Neque alia res est in Euripidis Hippolyto, in qua nutrix omnia se fecisse ipsa narrat, ut, quae causa morbi reginae esset, indagaret (cf. Eurip. Hippol. v. 271—273, v. 284); tamen v. 288 sqq. illa Phaedrae denuo persuadere conatur, ne diutius celet, quod cognoscere omnium maxime intersit[1]).

Eadem res Thyeste fabula demonstratur, cuius initio Atreus cum satellite de rebus colloquitur (v. 176 sqq.), quas iam antea tractaverit necesse est.

Neque dubitandum est, quin in Agamemnone[2]) Clytaemestra cum nutrice et Aegistho de consilio suo temporibus antecedentibus saepe collocuta sit et omnes illas cogitationes dubitationesque (v. 108—309) protulerit. In Aeschyli autem Agamemnone, qui Senecae in hac fabula componenda praecipuus fons erat[3]), nihil eiusmodi invenitur, cum artificium, quod tractamus, a Sophocle primo adhibitum ab arte scaenica Aeschylea abhorreat[4]).

§ 18. Restat, ut ad instrumentum transeam, quod ab Euripide inventum in nonnullis Senecae quoque tragoediis ad temporis unitatem efficiendam maximi momenti est: prologum dico.

Initio enim plurimarum Euripidis tragoediarum una persona ab actione saepe seiuncta nos de rebus ante illum diem gestis certiores facit[5]). Atque disquirentes, quo modo Seneca hoc in-

---

1) Felsch p. 50.

2) cf. I. Hillebrand, Aschylus' Agamemnon u. die gleichnamige Tragodie des Tragikers Seneca. (progr. Hermannstadt 1858/59); Liedloff, Die Benutzung griechischer u. römischer Muster in Senecas Troades u. Agamemnon, (progr. Grimmae 1902); Swoboda l. c. III, p. 289 sqq.

3) Senecam nonnulla e tragoedia poetae Graeci, qui aliquanto post Aeschylum floruit, hausisse Strauß l. c. p. 43 sqq. ostendit: cf. etiam Hillebrand l. c. p. 11.

4) cf. Felsch l. c. p. 22 sqq.

5) Felsch p. 48 sqq.; de Arnim, De prologorum Euripideorum arte et interpolatione. Gryphisv. 1882; Leo, Der Monolog im Drama. Abhandl. der Götting. Gesellsch. d. Wissensch. 1908.

strumentum Euripideum in usum suum converterit, intellegemus id non pari ratione in omnibus tragoediis adhibitum esse.

Initio enim Medeae Euripideae nutrix narrat dominam suam amore Iasonis incensam domo patria relicta Iasonem uxorem secutam esse, iam vero ab Iasone, qui novum matrimonium cum filia Creontis regis inire velit, desertam ingenti ira furere. Quo modo, inquies, res se habet apud Senecam? Cuius in fabula Medea ipsa *προλογίζει*, atque ubi apud Euripidem nutrix sermone continuo et paene epico res, quas supra commemoravi, explicat, ibi Seneca incitatus versibus Euripideis (v. 20 sqq.):

Μηδεία δ' ἡ δύστηνος ἠτιμασμένη
βοᾷ μὲν ὅρκους, ἀνακαλεῖ δὲ δεξιᾶς
πίστιν μεγίστην, καὶ θεοὺς μαρτύρεται
οἵας ἀμοιβῆς ἐξ Ἰάσονος κυρεῖ etc.

Medeam ipsam furentem inducit. Cuius e declamationibus nemo intellegat, quibus de rebus agatur, nisi is, qui Medeae Euripideae argumentum noverit. Videmus igitur Senecae prologum nos non de rebus, quae actioni antecedunt, certiores facere, sed mediam in actionem inducere[1]).

Neque aliter prologus Agamemnonis fabulae magnam partem e querelis de Tantali gente constat, et in exitu demum Thyestis umbra breviter explicat regem reversum uxoris manu paulo post interiturum esse. Quae causae Clytaemestram ad facinus committendum commoveant, e colloquio demum reginae et nutricis cognoscere possumus.

Thyestis quoque prologum, in quo duae personae, Tantali umbra et Furia, loquuntur, non tam scaenicis quam rhetoricis rebus satisfacere vel inde colligi potest, quod Furia domum Atrei devovens optat, ut res fiant, quas actione inita perfectas esse constat, ut certamen fratrum (v. 40) et Thyestis exilium (v. 32).

Propius autem ad usum Euripidis, qui monologo primo res actioni praecedentes spectatoribus explicat, accedit prologus Oedipodis fabulae, in quo rex ipse exponit se e Polybi regno fugisse (v. 12) metuens, ne quod oraculum Delphicum praedixisset, eveniret, ut patrem interficeret et e matre liberos

---

[1]) Lindskog l. c. p. 18 prologum omnium fabularum solis de causis rhetoricis usurpari contendit, quod falsum esse infra demonstrabo.

gigneret (v. 15—22). Tum demum, quod fit in omnibus prologis Annaeanis[1]), *καταστροφῆς* quae vocatur, mentionem facit, cum dicit (v. 28 sqq.) se timere, ne fatum calamitatem novam contra se moliatur, quia pestilentia illa, quae totum populum deleat sibi uni parcat.

Itemque in Herculis furentis prologo Iuno oratione longa luminibus rhetoricis ornata, ut ubique apud Senecam, explicat se, odio Alcmenae adulterae ductam (v. 19—26) Herculi multos labores imposuisse, quos omnes gloriose superavisset (v. 27—74). Tum demum actionem incipit deas nocturnas ex Erebo ad Herculis pectus perturbandum evocans (v. 75 sqq.).

In hoc autem Herculis furentis prologo nobis paulum subsistendum erit: eius enim in fine Iuno haec profert (v. 114 sq.):

inveni diem,
invisa quo nos Herculis virtus iuvet,

quibus versibus et sequentibus indicat se ultionem diu praeparatam hoc die perfecturam esse. Hac igitur ratione Seneca ut Euripides[2]) quoque in nonnullis tragoediis, non solum efficit, ut spectatores inde ab initio sciant actionem spatium unius diei non excedere, sed etiam id agit, ut res, quae non minus apte in quemlibet alium diem convenirent, in hunc ipsum consulto conlatae esse videantur. Qua de causa non mirum est, quod quo die Lycus Megaram in matrimonium poscit, eodem Hercules domum revertitur eodemque furore subito correptus uxorem liberosque interficit. Atque initium fabulae Annaeanae cum initio Herculis Euripideae comparantes invenimus Senecam hoc artificio adhibito ab exemplari Graeco magno cum commodo suo recessisse. In Euripidis enim fabula ineunte Amphitryo nos de rebus actioni ipsi praecedentibus certiores facit, qua de causa omnes illae res, quae apud Senecam numine divino hoc ipso die accidunt, apud Euripidem casu in tam angustum temporis spatium concidunt[3]).

In alterius quoque fabulae prologo commemorationem temporis ad exitum actionis spectantem invenimus. In Agamemnone enim Thyestis umbra, postquam Tartaro descripto totam gentem

[1]) Lindskog l. c. p. 17 sqq.
[2]) Felsch l. c. p. 54.
[3]) Felsch l. c. p. 55.

suam deploravit, Agamemnonem tandem reversum brevi Aegisthi et Clytaemestrae manibus periturum esse vaticinatur. Cuius e verbis (v. 44):

iam iam natabit sanguine alterno domus

quamquam elucet scelus non magno temporis spatio interposito commissum iri, tamen quo die futurum sit non demonstratur. Atque hoc facillime fieri potuit, si poeta pro incerto illo *iam iam* posuisset *hoc die* vel aliud simile.

Satis mihi ostendisse videor, qua ratione Seneca in temporis unitate efficienda exemplaria Graeca secutus sit. Restat, ut transeam ad artificia examinanda, quibus adhibitis Seneca ut unitas loci servaretur effecerit.

2. De artificiis, quibus loci unitas efficitur.

§ 19. Ac primo quidem loco nobis illud instrumentum occurrit, quod Graeci *ῥήσεις ἀγγελικάς* vocant [1]). Persaepe enim poeta res, quae alio loco vel alio tempore acciderunt, per nuntios vel alias personas partes nuntiorum agentes narrari facit.

Ac primum de eis locis disseram, quibus nuntii vel aliae personae res, quae ante diem actionis acciderunt, narrant. Quo pertinet in Hercule furente Thesei narratio de rebus ab Hercule in Erebo gestis (v. 658 sqq.), quae in Euripidis fabula nihil habet, quocum comparari possit, et in Agamemnone Eurybatis narratio de reditu Graecorum (v. 421 sqq.), quae est simillima narrationis praeconis, quae apud Aeschylum invenitur (Agam. v. 551 sqq.). De Eurybatis autem narratione pauca addenda sunt. Clytaemestra enim ex Eurybate quaerit, ubi coniunx versetur, quaeque sit fortuna Menelai et Helenae (v. 398a, 404a, 405a), quamquam e colloquio eius cum nutrice et Aegistho habito concludere possumus eam omnia iam scire, cum dissensus inter Agamemnonem et Achillem facti et Agamemnonis amoris erga Cassandram mentionem faciat (v. 175 sqq., v. 188 sqq.). Quocum consentit, quod nutrix (v. 204 sqq.) dicit:

victor venit
Asiae ferocis, ultor Europae, trahit
captiva Pergama et diu victos Phrygas.

---

[1]) cf. Felsch p. 42 sqq.

Cum e nullo loco satis eluceat, unde hoc compererint[1]), Senecam commemorationem harum rerum compositione scaenica neglecta colloquio innexuisse arbitror, propterea quod optime conveniunt ad sermonem, quo Clytaemestra summo cum acumine disputat, utrum consilium suum exsequatur necne, praesertim cum sperare posset, nemini, qui suam fabulam legeret, argumentum Agamemnonis Aeschyleae ignotum fore.

Neque solum de rebus diu peractis nuntiorum narrationibus certiores fimus, sed poeta etiam res, quae eodem die quamvis alio loco acciderunt, per nuntios describit, atque quo manifestiores res nuntiatae fiant, haud raro personas postea prodeuntes malumque lugentes vel res coeptas peragentes facit, qua in re Sophoclis et Euripidis exempla secutus esse videtur[2]).

In Phaedra enim nuntius nos de morte Hippolyti edocet (v. 1000 sqq.) ut in Euripidis fabulae v. 1173 sqq. . . Atque in Oedipode fabula non solum Creo Lai responsum explicat (v. 530 sq.), sed etiam posteaquam nuntius ut in Sophoclis fabula (v. 1223 sqq.) narravit, quo modo rex se luminibus spoliaverit (v. 915 sqq.), brevi post rex ipse procedit (v. 995) calamitatemque suam deplorat.

In Medea, cum poeta vestem in scaena veneno imbui nolit, hanc rem per nutricem enarrari facit (v. 670—739), qua narratione finita Medea advenit (v. 740) et coram spectatoribus opus perficit; itemque quid vestis et cetera illa dona effecerint ad exemplar Euripideum (cf. Eurip. Med. v. 1136 sqq.) a nuntio refertur.

In Thyeste quoque per nuntium de caede filiorum Thyestis et de cena nefaria ab Atreo instituta certiores fimus (v. 641 sqq.), atque chori cantico interposito Atreus in scaenam progreditur nulla alia de causa, nisi ut portis patefactis spectatoribus ultima pars cenae ostendatur (v. 920 sqq.).

§ 20. Itemque cum, ut res scaenicae se habent, fieri non possit, ut quae intra domum aguntur videamus, personae ante fores adstantes narrant, quae res intus accidant. Quo artificio, quod a tragicorum Graecorum arte scaenica alienum in comoediis aliquotiens invenitur[3]), poeta in Hercule furente et in Agamemnone utitur.

[1]) cf. Lindskog l. c. p. 16. [2]) cf. Felsch p. 42, 67.

[3]) cf. e. g. Plauti Bacchides v. 832—834; Menandri Samia v. 148 sqq.; Menandri sive Caecilii Plocium, cf. Ribbeck, fr. com. Roman. p. 64.

In Hercule furente enim Hercules furore captus liberos suos in regia morantes videns Lyci progeniem domi latere existimat (v. 1001). Itaque sagitta unum filium interficit, cuius necem Amphitryo his verbis decribit (v. 994):

medio spiculum collo fugit
vulnere;

alterius mortem nos his versibus edocet (v. 1005 sqq.):

dextra precantem rapuit et circa furens
bis ter rotatum misit; ast illi caput
sonuit, cerebro tecta disperso madent.

Megara interea cum tertio filio ante aedes progressa ab Hercule in regiam retrahitur et ibi una cum infante mariti manibus necatur, quod Amphitryo (v. 1022 sqq.) nuntiat.

Atque in Agamemnone, cum poeta caedem Agamemnonis copiosa oratione describi velit, visio illa Cassandrae nos de rebus intus peractis certiores facit (v. 867 sqq.)[1]. Quo loco optime intellegi potest, quantopere poeta Romanus et Graecus inter se discrepent. Aeschylo enim, quem tragoediam suam conscripsisse constat, ut in scaena repraesentaretur, praecipue id agendum erat, ut compositio severis legibus scaenicis obtemperaret utque spectatorum animi commoverentur. Itaque visionem illam Cassandrae (v. 1072 sqq.) ita instituit, ut spectatores ex ea alternis chori verbis interrupta magis suspicarentur, quid fieret, quam clare intellegerent. Seneca autem, cuius ut rhetoris pluris intererat artem suam rhetoricam iactare, choro plane neglecto caedem regis a Cassandra longa oratione describi fecit. Atque caede perfecta apud Aeschylum Clytaemestra cum corporibus mortuorum eccyclemate in scaenam provecta ipsa quo modo maritum trucidaverit, narrat (v. 1372 sqq.). Seneca autem nece a Cassandra descripta haec Clytaemestrae verba ab Aeschylo mutuatus non est, sed ne aures audientium fatigarentur, satis habuit Clytaemestram, cum in scaenam prodit, ab Electra describi (947—950).

§ *21*. Bis Seneca instrumentum adhibet, quod in tragoediis Graecis saepe occurrit, *ἐκκύκλημα* quod dicitur. Quod in Phaedra usurpatum est, ubi reginam subito amoris impetu correptam videmus (v. 384 sqq.):

---

[1]) cf. etiam Strauß l. c. p. 41.

sed en patescunt regiae fastigia.
Reclinis ipsa sedis auratae toro
solitos amictus mente non sana abnuit.

In Euripidis quoque Hippolyto poeta eccyclemate utitur, neque tamen regina amore furens sed mortua portis regiae patefactis nobis ostenditur (v. 808 sqq.). Reginam enim amore impio aegrotam apud Euripidem antea vidimus, cum ancillae eam toro e regia efferebant (v. 198 sqq.). Neque dubitandum est, quin Seneca non recte fecerit, quod hanc scaenam ad compositionem reliquam (post v. 85 sqq.) parum convenientem, hoc loco fabulae innexuit. Cum autem altera quoque Euripidis fabula, ad quam Senecam praecipue se adstrinxisse constat (cf. p. 14), scilicet Hippolytus velatus, reginam gravi morbo laborantem in toro iacentem ostenderet[1]), poeta Romanus, quamvis exemplaribus Graecis minus dextre uteretur, tamen hanc occasionem Phaedrae affectus iterum describendi omittere noluit.

Eccyclema in Thyestis quoque fabulae extremo actu adhibetur, ubi Atreus fratri suo ebrio declarat, quales cibi ei appositi sint (v. 908 sqq.):

aperta multa tecta conlucent face,
resupinus ipse purpurae atque auro incubat
vino gravatum fulciens laeva caput.

§ 22. Atque cum maxima pars fabularum ante aedes regias peragatur, disquirendum est, quo modo poeta effecerit, ut personae, quae ad actionem gerendam necessariae sunt, in scaenam prodeant, et quo modo eas, quae actioni impedimento sunt, removeat.

a) Auctor enim personas qualibet de causa initio fabulae in scaenam producat necesse est.

Qua in re Seneca a more poetarum Graecorum paullum recessit. In tragoediis Graecis enim personae in scaenam prodeuntes aliquam causam proferunt, qua se commotas esse, ut in hunc locum venirent, ipsae dicunt[2]). Quamquam ne apud Senecam quidem personae initio actionis sine ulla causa in scaenam prodeunt, tamen ipsae nunquam explicant, cur eo venerint.

---

[1]) cf. Leo, observ. crit. p. 178.
[2]) Felsch l. c. p. 33, 58.

In Oedipode enim fabula rex prima luce e regia prodiit, ut deos oraret, pestem diram averterent, quod nullo loco, nisi e precibus eius (v. 71 sqq.) colligere possumus. At in Sophoclis fabula rex ipse se idcirco ex aedibus egressum esse dicit, ut a supplicibus acciperet, qua calamitate urbs afflicta esset (cf. v. 6 sq.)[1].

In Euripidis Medea quoque nutrix his verbis declarat, cur e regia decesserit (v. 56 sqq):

ἐγὼ γὰρ εἰς τοῦτ' ἐκβέβηκ' ἀλγήδονος,
ὥσθ' ἵμερός μ'ὑπῆλθε γῇ τε κοὐρανῷ
λέξαι μολούσῃ δεῦρο Μηδείας τύχας.

Senecae autem Medeam die nuptiarum Iasonis ad aedes regias venisse, ut domum devoveret et aliquo modo Iasonem puniret, e solis declamationibus eius colligi potest (v. 1 sqq.).

In Senecae Hercule furente aeque atque in Euripidis fabula, quae in eodem argumento versatur, Amphitryo initio actionis ad regiam venit, ut ad aram Iovem oraret, sibi suisque auxilium ferret, quod apud Euripidem his verbis indicatum est (v. 44 sqq.):

ἐγὼ δέ . . . . . .
σὺν μητρί, τέκνα μὴ θάνωσ' Ἡρακλέους,
βωμὸν καθίζω τόνδε σωτῆρος Διός,

cum apud Senecam nihil eiusmodi aperte dictum inveniamus.

In Hyppolyto quoque Euripidea nutrix, cur Phaedra in scaenam prodierit, his verbis indicat (v. 181):

δεῦρο γὰρ ἐλθεῖν πᾶν ἔπος ἦν σοι,

at in Senecae fabula, nisi e declamationibus Phaedrae intellegeremus reginam amore vexatam domi taedere, nullo modo cognosceremus, cur in hunc locum veniret.

b) Neque tamen semper in tragoediis Graecis personae in scaenam prodeuntes causam proferunt, cur hunc locum adeant[2]), sed interdum de quibus rebus colloquuntur, de eis aptius alibi agerent.

Quae res in Senecae quoque Agamemnone nobis occurrit, cuius initio Clytaemestra, Aegisthus, nutrix de consiliis, de quibus rectius intra domum agi apertum est, ante aedes verba faciunt.

---

[1]) cf. Felsch l. c. p. 34 sq.

[2]) cf. Felsch l. c. p. 36 sq.

Quocum consentit Thyestes fabula, in qua cur Atreus ante domum prodierit (v. 176) neque satellitem ad se in regiam vocaverit, ut cum eo consilia sua communicaret, intellegi non potest.

c) Aliquotiens fit, ut personae peregre advenientes non statim in aedes introeant, sed aliqua de causa foris maneant, quo efficitur, ut homines, quos illae visurae sunt, prodeant et actio reliqua ante aedes peragatur.

In Agamemnone enim Eurybates a rege ad Clytaemestram missus non statim ad reginam se confert, sed ad aram deis supplicat (v. 392a sqq.), qua re efficitur, ut Clytaemestra ipsa domo eliciatur.

Itemque in Thyeste fabula Thyestes non ilico, postquam cum filiis Mycenas revertit, regiam ingreditur, sed timore subito stupefactus intrare dubitat (v. 404 sqq.), qua re Atreus, qui eum ante arcem stantem aspexisse videtur, domo evocatur. Quod artificium ab Aeschyli arte scaenica plane abhorret, usitatissimum autem est apud Sophoclem et Euripidem. Apud hos enim poetas Graecos plerumque personae aliunde venientes cum choro sermonem incipiunt atque ita impediuntur, ne domum intrent, dum homines quaesiti ipsi ad illas progrediantur [1]).

Semel apud Senecam quoque persona peregre adveniens sermone alterius, quae iam antea in scaena erat, retinetur, dum persona quaesita proveniat, scilicet in Phaedra fabula, neque ut apud poetas Graecos chorus, quippe cui a Seneca locus exiguus concedatur, hoc munere fungitur, sed nutrix. Theseus enim reversus, postquam monologum, a quo Seneca plerumque actus novos incipit [2]), habuit (v. 835—849), clamore reginae audito (v. 850) aedes non statim intrat, sed interrogat, quae causa huius gemitus sit (v. 851 sqq.); quod postquam rex verbis nutricis comperit (v. 854 sqq.), Phaedra ipsa postibus reseratis in scaenam redit.

Atque in Hercule furente monologus, quem dicturus est, causa unica esse videtur, quae Herculem reversum impedit, quominus in regiam ingrediatur (v. 592—615); quo finito Amphitryo et Megara cum liberis prodeunt, ut Herculem, a quo se liberatum et servatum iri sperant, salutent (v. 618 sqq.).

---

[1]) Felsch p. 40, 61.

[2]) Leo, der Monolog im Drama p. 92.

d) Neque raro apud Euripidem fit, ut personae, quas aliae aditurae sunt, iam antea in scaenam productae sint[1]). Quod artificium quo modo Seneca adhibuerit, ex Oedipode intellegitur, ubi, ut colloquium cum sene Corinthio et cum Phorba habitum ante regiam accidat, poeta regem et reginam in scaenam prodeuntes facit (v. 764), quamquam omnino nulla causa exstat, qua inducti eo veniant.

e) Semel poeta personam ad actionem necessariam iterum in scaenam producit, quamquam hoc rebus antea gestis valde repugnat.

In Phaedra enim Hippolytum, qui mane se silvas petere verbis (v. 83) *vocor in silvas* indicavit, brevi post (v. 424) ad aram sacrificantem videmus, perinde ac si ultro se eo contulerit, ut a nutrice temptaretur. Quae res probabilitati ita repugnat, ut cum nullo loco tragoediarum Graecarum comparari possit.

f) Vt Seneca personas, quibus ei ad fabulam peragendam opus est, in scaenam prodeuntes facit, ita eas, quae ad actionem necessariae non sunt, causis ad hoc ipsum fictis de scaena removet.

In Hercule furente enim Lycus a Megara repudiatus se recipit simulans se Neptunum sacro votivo veneraturum esse (v. 515), re vera autem propterea, quod Seneca efficere volebat, ut Hercules Lycum petens de scaena decederet et Theseo facultatem Tartari describendi daret. In Euripidis autem Hercule fabula Lycus abit nullam causam fingens, sed de pulpito se removet, ut intra aedes exspectet, dum Herculis propinqui ad mortem parati prodeant (v. 334 sq.).

In Oedipode quoque fabula rex narratione Phorbae audita domum ingreditur, quia fieri non potest, ut coram populo oculis se privet, quamquam simulat se abire, ut matrem edoceat, quid compererit (v. 880 sq.). Nihil eiusmodi est in Sophoclis Oedipo Rege, in qua rex abit (v. 1185) nulla causa prolata, quod consentaneum est virum tantorum scelerum convictum aspectum ceterorum hominum fugere.

Itemque in Agamemnone Clytaemestra et Aegisthus secundo actu finito abeunt simulantes se consilia sua et dubium rerum

---

[1]) Felsch l. c. p. 64.

statum deliberaturos esse (v. 308—309); quod eodem loco facere poterant, quoniam de rebus gravissimis ibi egerunt. Vera autem causa esse videtur, quod Aegisthus, qui in extremo demum actu rursus provenit, de scaena removendus erat.

g) Neque tamen raro fit, ut personae nulla causa indicta de scaena decedant, cuius rei exempla gravissima, quae in tragoediis exstant, proferam.

In Hercule furente enim Amphitryo et Megara, postquam Herculem revertentem senserunt (v. 520 sq.), de scaena se recipiunt, quamquam cognosci non potest, qua causa commoti hoc faciant[1]).

Eandemque rem in Oedipode videmus, qua in fabula Iocaste primo actu finito abit, quod propter numerum trium actorum, quem numerum poeta diligentissime observat (cf. p. 2), in scaena remanere non potest. Itemque in actu quarto de scaena decedit ante adventum vel senis Corinthii vel Phorbae — hoc enim poeta in incerto reliquit — quod reginae abitu Oedipodi, postquam comperit, cuius filius esset, facultas domum intrandi datur (cf. p. 27) Quam partem si cum tragoedia Sophoclea comparamus, luculentissime ex ea apparet, quantopere Seneca artis scaenicae Graecae severitatem imminuerit. Apud Sophoclem enim regina, postquam legati Corinthii narratione sibi persuasit, quod in scelus incidisset, e conspectu hominum se removet, ut intra regiam mortem sibi consciscat, quod his verbis indicat (v. 1071 sq.):

ἰοὺ ἰού, δύστηνε· τοῦτο γάρ σ'ἔχω
μόνον προσειπεῖν, ἄλλο δ' οὔποθ' ὕστερον.

Apud Senecam autem, qui parum prudenter hanc rem in fabulam suam transtulit, regina in aedes se recipit, quamquam, cum extremo in actu coram populo gladio se interimat, causam iustam non habet.

In Agamemnone quoque Clytaemestra post Eurybatis narrationem abit (v. 588)[2]), quamquam manus captivarum, quae Agamemnoni praecedunt, advenit, et ducentis demum versibus peractis redit, ut maritum victorem salutet (v. 780). Equidem

---

[1]) cf. Leo, observ. crit. p. 161.
[2]) cf. etiam Lindskog l. c. p. 82.

putaverim Senecam, cum feminae Troianae adveniunt, Clytaemestram de scaena abduxisse, quod regina declamationibus Cassandrae, quibus artem suam rhetoricam demonstrari poetae multum intererat, certe impedimento fuisset.

Neque alia res est in Phaedra fabula, cuius in extremo actu Phaedra ante omnium oculos gladio se percutit. Reginam autem et brevi ante in regia versatam esse chori verba declarant (v. 1154 sq.):

quae vox ab altis flebilis tectis sonat
strictoque vecors Phaedra quid ferro parat?

et illam nuntii narrationem audivisse ex ipsius verbis (v. 1159 sqq.) dilucide apparet. Vnde sequitur, ut Phaedra, postquam nuntius caedem Hippolyti descripsit (v. 1000—1114), in regiam decesserit, quamquam poeta ne uno quidem verbo abitus eius, et quo loco traegoediae et qua de causa fieret, mentionem fecit.

Haec habui, quae dicerem de temporis et loci unitatibus in his sex tragoediis observatis. Reliquum est, ut transeam ad ceteras fabulas, quae sub Senecae nomine circumferuntur, quasque a nonnullis viris doctis Senecae abiudicari equidem omnibus rebus exacte examinatis non probo, scilicet Phoenissas, Troades, Herculem Oetaeum.

II. De Phoenissis, Troadibus, Hercule Oetaeo fabulis.

1. De Phoenissis fabula.

Ac primum de Phoenissis pauca sunt, quae proferamus. Nam utrum hae scaenae, quae communi titulo Phoenissarum continentur, a poeta scriptae sint, ut „aptum declamationi suasoriae argumentum“ versibus tractaret, quod voluit Leo[1]), an sint excerpta unius tragoediae a rhetore quodam facta, quod censuit Birt[2]), an sint fragmenta tragoediae a poeta non perfectae, quod placuit Wernero[3]) et Braunio[4]), an sint reliquiae duarum tragoe-

[1]) Leo, observ. crit. p. 82; Göttinger Gelehrte Anzeigen 1903, p. 6.
[2]) Birt, Mus. Rhen. 34 p. 520 sqq.
[3]) Werner l. c. p. 44.
[4]) Braun, Mus. Rhen. XX (1865) p. 271.

diarum, ut iudicant Schoene[1]), Habrucker[2]), Richter[3]), B. Schmidt[4]), an denique faciamus cum Peipero[5]), qui Phoenissas fragmenta trilogiae esse dicit, hoc parum nostra interest, cum tot tamque variis virorum doctorum opinationibus non novam addere in animo habeamus, sed quid certi de temporis et loci unitate enucleari possit, ostendere nobis proposuerimus.

§ 23. Neque quemquam fugiet Phoenissarum priorem partem, quae est a versu 1 usque ad v. 362, a consuetudine ceterarum fabularum, quas adhuc tractavi, eo abhorrere, quod nulla re accurate indicatur, ubi actio geratur.

Nam e versu 67 sq.:

> hic alta rupes arduo surgit iugo
> spectatque longe spatia subiecti maris etc.

cognoscere quidem possumus nos a poeta in regionem silvestrem et montanam haud procul a mari sitam ductos esse, itemque e v. 12:

> ibo, ibo qua praerupta protendit iuga
> meus Cithaeron

et e v. 31 *mortem Cithaeoron redde* intellegitur regem prope Cithaeronem versari, sed quo loco sit, certe diiudicari non potest, quae res etiam in ultimos versus prioris partis cadit, e quibus omnino non intellegitur, ubi nuntius Thebis missus Oedipum inveniat, nisi quod e verbis Oedipodis v. 358 *nemo me ex his eruat silvis* comperimus regem ad Cithaeronem iam pervenisse.

Certiora autem de loco alterius partis statuere possumus. Cum enim in hac parte certamen filiorum Oedipodis describatur, inde ab initio dubitari non potest, quin res Thebis vel prope Thebas agatur. Atque quo loco personae agentes versentur, distincte nobis erit disquirendum.

Equidem puto in hoc quoque altero fragmento unitatem loci non obtineri, sed post v. 442 scaenam iterum mutari. Initio enim huius partis Iocasta sortem suam queritur additque, quod

---

1) Schoene, Allgem. Schulzt. 1831 p. 1029.

2) Habrucker l. c. p. 24.

3) G. Richter, De Senecae tragoediarum auctore, Bonnae 1862. p. 21 sqq.

4) B. Schmidt, De emendandarum Senecae tragoediarum rationibus prosodiacis et metricis, Berol. 1860, p. 76.

5) Peiper, suppl. praef. p. 18.

periculum patriae immineat. Tum satelles progressus (v. 387) reginae nuntiat exercitus regum hostilium iam appropinquare, quod pulvere excitato agnosci possit, et Antigonae precibus adiutus efficit, ut Iocasta medios inter fratres decertantes se praecipitet (v. 427). Quem igitur in locum poeta hos versus scribens nos animo deduci voluit? Quamquam nullus versus certum locum indicat, tamen nos a veritate non aberraturos esse suspicor, si contendamus hanc partem ante regiam Thebanam agi. E satellitis enim verbis (v. 394):

vide, ut atra nubes pulvere abscondat diem

itemque e *τειχοσκοπίᾳ* eius (v. 427 sqq.), quam poeta simili modo atque Euripides in Phoenissis (v. 103 sqq.) adhibet, apparet locum, quo stat, editum esse. Atque cum Iocasta regina primos versus loquatur, eam, ut in Euripidis et Aeschyli fabulis, quae in eodem argumento versantur, ante regiam esse consentaneum est.

Brevi autem postquam Iocasta decessit, satelles eam inter acies pugnantium fratres reconciliantem describit (v. 427—442), et v. 443 sqq. reginam ipsam et fratres videmus, quaeque brevi ante e satellitis ore accepimus, ea nunc oculis nostris cernere possumus. Quam scaenam non eodem loco agi ac superiorem mihi luce clarius esse videtur. At Lindskog[1]), qui Birtium secutus haec fragmenta unius tragoediae esse contendit, unitatem loci ita defendere studet, ut priorem scaenam alterius partis non media in urbe, sed in muro ipso ante campum, in quo fratres congrediuntur, peragi velit. Cui sententiae assentiri non possum, quamquam, cum certi versus ad hanc rem pertinentes desint, refutari non potest. Neque enim video, cur in hac parte unitatem loci in priore neglectam vi adhibita restitui oporteat, praesertim cum et apud Aeschylum et apud Euripidem locus agendi ante regiam sit.

§ 24. De tempore nihil dicendum est nisi e v. 394:

vide, ut atra nubes pulvere abscondat diem

sequi, ut pars altera interdiu incipiat.

2. De Troadibus.

§ 25. Aggrediamur nunc ad Troadum[2]) fabulam, quam luce iam orta incipere verbis Andromachae affirmatur (v. 19 sqq.):

---

[1]) Lindskog l. c. p. 78.

[2]) W. Swoboda l. c. III, p. 87 sqq.: W. Braun, De Senecae fabula,

nec caelum patet
undante fumo: nube ceu densa obsitus
ater favilla squalet Iliaca dies.

Idem indicat narratio Talthybii (v. 168 sqq.), qui, ut e verbis eius concitatis elucet, brevi ante id vidit, quod iam choro enarrat, cf. v. 170 sqq.:

summa iam Titan iuga
stringebat ortu, vicerat noctem dies,
cum subito caeco terra mugitu fremens
concussa totos traxit ex imo sinus.

Atque postquam iussu Calchantis caedes Astyanactis et Polyxenae statuta est, munus pueri a matre abducendi Vlixes suscipit, in quem, cum infantem e busto Hectoris tollit, Andromacha his verbis invehitur (v. 755):

nocturne miles, fortis in pueri necem
iam solus audes aliquid et claro die,

unde intellegi potest diem adhuc esse.

Quartum autem actum, in quo Helena a ducibus Graecis iussa Polyxenam e matris manibus eripere studet, et quae in extremo actu accidunt, dico immolationem Astyanactis et Polyxenae itemque profectionem classis Graecae spatio diei vel unius vel plurium separari probabilitati respondere non censeo.

§ 26. Quam legem unitatis temporis non aliis artificiis adhibitis atque in tragoediis, de quibus supra egi, observatam esse facile est intellectu. Primum enim poeta temporum et locorum intervalla non respicit; Agamemno enim Calchantem, qui decernat, num voluntati Achillis mortui parendum sit, vix adduci iussit (v. 351), cum sacerdos advenit (v. 353), quamquam brevi hoc spatio fieri non potest, ut famuli eum advocent. Itemque tempus inter adventum Pyrrhi (v. 999), qui Polyxenam abducit, et nuntii narrationem de morte Astyanactis et Polyxenae (v. 1056 sqq.) interpositum mihi iusto brevius esse videtur.

quae inscribitur Troades, Wesel 1870; Leo, observ. crit. p. 170; Werner, l. c.; Liedloff, Die Benutzung griechischer u. römischer Muster in Senecas Troades u. im Agamemnon, Grimmae 1902; Lindskog l. c. p. 79 sqq.

Atque quo actio celerius progrediatur, poeta ante actionem initam somnium Andromachae accidere facit, quo regina vexata filium suum in busto recondit (cf. v. 438 sqq.).

Prologus autem non multum ad unitatem temporis efficiendam valet, quod Hecuba non more Euripideo, quae actioni antecedunt, enarrat, sed lamentationibus suis vehementibus actionem ipsam incipit.

Intellegimus igitur Troadum fabulam, quod ad tempus attinet, legi scaenicae Graecorum respondere: eodemne autem modo lex unius loci valet?

§ 27. Per se constare arbitror scaenam principalem huius tragoediae illam esse, in qua Vlixes Astyanactem in bustum Hectoris abditum requirit et ad mortem abducit[1]). Quam ante Hectoris tumulum peragi vel inde apparet, quod Andromacha somnio perterrita timens, ne quid filiolo accidat, Astyanactem in bustum sene auctore includit (cf. v. 483, 512), unde eum Vlixes minatus se totum bustum eversurum esse (v. 640/641, 663, 667, 685) elicit.

Examinemus nunc, num in sequentibus quoque actibus idem locus obtineatur.

Atque chori cantico interposito Helena a principibus Graecorum missa Andromacha Hecubaque praesentibus Polyxenae persuadere conatur eam Pyrrho in matrimonium datam esse, brevi autem a mulieribus convicta, quae vera sit causa, cur eo venerit, confitetur. Tum Pyrrhus ipse accurrit et Polyxenam secum abducit. De loco autem, quo haec fabulae pars agitur, nos poeta in incerto reliquit. At brevi post nuntius venit (v. 1056), cuius in narratione de caede liberorum regiorum una res mihi digna esse videtur, quae commemoretur; dicit enim (v. 1086):

atque aliquis (nefas)
tumulo ferus spectator Hectoreo sedet.

Quo ex loco mihi apparere videtur scaenam illam ultimam et paenultimam non ut tertiam ante bustum Hectoris peragi; quoniam quid opus erat feminis nuntiari aliquem in busto Hectoris sedere, si id ipsae in conspectu habent?[2])

---

[1]) cf. etiam Sandström, De L. Annaei Senecae tragoediis. Upsalae 1872, p, 9 sqq.

[2]) Si quis dicat poetam parum diligenter versus 1086. 1087 orationi nuntii innexuisse, ut tumulo commemorato vim rhetoricam orationis augeret,

Quo autem loco scaenae praecedentes aguntur?

Atque initio fabulae Hecubam lamentantem videmus, deinde carmine ab Hecuba et choro invicem cantato Talthybius advenit et choro narrat Achillis umbram mane apparuisse et Polyxenae caedem postulavisse. De loco, quo haec verba dicantur, nihil certi comperimus, nisi quod totam hanc partem Troiae peragi e declamationibus Hecubae concludere possumus. Ac narratione Talthybii finita subito Agamemnonem et Pyrrhum de Achillis iussu altercantes spectamus, ad quos etiam Calchas accedit, qui praeter Polyxenam Astyanactis quoque morte opus esse vaticinatur. In hac quoque parte nihil invenitur, unde quicquam de loco intellegere possimus. Si autem suspicemur locum his prioribus scaenis communem esse, certe hoc nobis animo tenendum est Hecubam colloquio principum non interesse, sed nulla causa indicta post v. 163 abisse, quoniam per Helenam demum de sorte filiae imminente certior fit (v. 861 sqq.). Quam rem non tanti momenti esse credo, cum in ceteris quoque fabulis haud raro accidat, ut personae de scaena decedant, quamquam causa, qua commotae hoc faciunt, non in propatulo est (cf. p. 28)[1].

Quibus cognitis restat haec sola quaestio, num priores scaenae et posteriores, scilicet actus quartus et quintus, locum eundem habeant. Qua de re certum iudicium ferri non poterit, cum et in priore fabulae parte et in altera omnis loci significatio plane desit[2], ita ut fortasse conicere liceat Senecam in fabula componenda nisi cum scaenam, quae est ante Hectoris bustum, conscriberet, omnino certum locum in mente non habuisse.

§ 28. Quamquam igitur unitas loci non tanta severitate observata est, quanta in ceteris tragoediis, tamen nobis mirum esse non potest, quod in hac quoque fabula artificium adhibetur, quod alibi ad loci unitatem efficiendam maximi momenti est, nuntii narrationem dico: e Talthybii enim ore accipimus Achillem mortem Polyxenae postulavisse, itemque nuntius nos de caede

ci nihil grave opponere possum: sed cum in tota hac fabulae parte Hectoris busti nulla mentio fiat, mihi quidem non dubium est, quin hae scaenae alibi agantur: cf. etiam, quae p. 34 dixi.

[1]) cf. etiam Lindskog, p. 81 sqq.

[2]) In Troadibus unitatem loci observatam esse Swoboda quoque (t. III p. 94 sqq.) negat.

Astyanactis Polyxenaeque certiores facit. Cum enim apud tragicos Graecos quoque hoc instrumentum tam tritum esset, ut vix ulla tragoedia inveniatur, in qua nulla de rebus alio loco vel alio tempore gestis narratio exstet, Senecam, qui ut rhetor longas orationes tantopere adamaret, hoc artificium cupide arripuisse non miramur.

3. De Hercule Oetaeo.

Transeamus nunc ad ultimam fabulam, quae Senecae adscribenda est vel tota, quod voluerunt Melzer[1]) et Ackermann[2]), vel magnam partem, ut placuit Leoni[3]).

§ 29. Atque primum de loco quae observavimus, adnotabimus. Primum igitur nemini dubium esse potest, quin prologus Herculis in Euboea agatur[4]), quod ex Herculis extremis verbis, quibus nuntium victoriae domum meare et pecus raptum ad Cenaeum promonturium duci iubet, concludi potest; cf. v. 99 sqq.:

sed tu, comes laboris Herculei, Licha,
perfer triumphos, Euryti victos lares
stratumque regnum; vos pecus rapite ocius
qua templa tollens acta Cenaei Iovis
austro timendum spectat Euboicum mare.

Difficilius autem est cognitu, quem in locum nos chori carmen, quod prologum sequitur, et Iolae declamatio ducant. Postquam enim captivarum chorus sortem suam miseram deploravit, Iole, quam verba chori audivisse e primis eius verbis (v. 173) *at ego infelix* etc. elucet, sua sorte peiorem inveniri posse negat. Cuius declamationis in fine queritur, quod brevi labores humiles suscipere debeat (v. 218 sq.):

iam iam dominae captiva colus
fusosque legam etc.;

tum haec verba dicens (v. 224):

sed iam dominae tecta petantur

---

1) Melzer, De Herc. Oetaeo Annaeana, (progr. Chemnitz 1890).
2) Ackermann, Philologus Suppl. X, p. 323 sqq.
3) Leo, Observ. crit. p. 53 sqq.
4) cf. etiam Ackermann, l. c. p. 392.

domum regiam intrat[1]; quam chorus prior sequi videtur, cum poeta eius in partibus sequentibus nullam mentionem faciat, sed chori partes virginibus Calydoniis committat.

Constat igitur et hanc extremam partem declamationis Iolae ante regiam Herculis Trachiniam agi, et Iolae verba artissime cum antecedente chori carmine cohaerere. Quae cum ita sint, hoc quoque chori carmen eodem loco cani statuendum videtur esse, nisi nonnulla invenirentur, quae dubitationes virorum doctorum moverent. Leo[2]) enim existimat versus 104—172 ut prologum in Euboea geri. Ackermann[3]) autem demonstrat chorum non Oechaliam Euboicam sed Thessalicam patriam suam vocare, cum dicat (v. 133) *felix incolui . . . soli iugera Thessali* et (v. 125) *gelidus Dolops hac ducet pecudes, qua nunc tepet strutae Oechaliae cinis;* Dolopes enim in Thessalia habitabant. Discrepantiam igitur esse inter prologum et chori canticum Ackermann recte docet, cum poeta in prologo Sophoclem secutus[4]) dicat Oechaliam Euboicam, in cantici priore parte Oechaliam Thessalam ab Hercule eversam esse. Quas loci discrepantias non magni momenti esse cum inde intellegitur, quod similes a ceteris quoque Senecae fabulis non alienae sunt[5]), tum quod Oechalia ipsa utrum esset Euboica an Thessalica iam veteres scriptores dissentiebant[6]).

Quibus rebus cognitis restat hoc unum, ut demonstremus, utrum chorus priorem partem cantici canens Oechaliae versetur, an, ut ex Iolae extremis verbis concludere possumus, Trachine ante domum regiam. Quam ad quaestionem diiudicandam non tanti ponderis est pronomen *hic* usurpatum in v. 125 sqq.:

iam gelidus Dolops
hac ducet pecudes, qua tepet obrutus
. . . . . Oechaliae cinis,

---

[1]) cf. etiam v. 237.

[2]) Leo, Gött. G. A. 1903, p. 9.

[3]) Ackermann l. c. p. 323.

[4]) cf. Soph. Trach. v. 74.

[5]) cf. Harder, Festschrift Joh. Vahlen z. 70. Geburtstag gewidmet, p. 452.

[6]) cf. Ackermann l. c. p. 395; Gercke, Neue Jahrb. f. d. klass. Altert. XV (1905) p. 402[5], 406.

quod Leoni[1]) videbatur, quoniam tribus versibus post poeta dicit

(v. 128) illo Thessalicus pastor loco[2])

. . . .

cantu nostra canet tempora flebili.

Plus mihi ad locum destinandum v. 135 *ad Trechina vocor*, quo chorus indicat, sibi in caput terrae Herculeae migrandum esse, valere videtur. Quam profectionem Oechalia, a patria feminarum, initium capere si suspicabimur, a probabilitate non aberrabimus, quia versibus antecedentibus patriam suam ab Hercule eversam defleverunt. Ac si quis dicat tempus praesens *vocor* pro perfecto *vocata sum* de causis metricis positum esse, quod non raro occurrit apud poetas Latinos, illi respondendum erit chorum v. 135 se Trachinem in exilium iturum esse explicare atque sequentibus versibus indicare, quas in regiones captivae, quibus melior sors impendeat, iturae sint. Quos versus alio loco atque in patria et alio tempore atque brevi ante discessum civium captivarum dici verisimile esse nego.

Vidimus igitur prologum Herculis in Euboea insula, at, dum cantici prior pars canitur, rem Oechaliae agi, denique in extrema Iolae declamatione, quae cum cantico, ut supra diximus, artissime cohaeret, actores ante regiam Herculis versari.

Quo autem loco ea, quae in altera parte cantici et in priore declamationis Iolae sunt, agantur, poeta nos non docet. Fortasse hanc partem a feminis in itinere a patria in exilium converso dici voluit; neque tamen quo consilio hoc ita instituerit enucleari potest, nisi forte illum his versibus parodum quandam tragoediae sequenti anteposuisse suspicamur.

Quoquo modo res se habet, certe nobis hoc memoria tenendum est Iolam et chorum ante regiam pervenisse, et quod in sequente actione neque hic neque illa verba facit, utrumque domum intravisse verisimillimum est. Sequuntur verba nutricis zelotypiam alumnae describentis, quae ante regiam dici v. 254 et 255 docent:

sonuere postes: ecce praecipiti gradu

secreta mentis ore confuso exerit (sc. regina).

[1]) Leo, G. G. A. 1903 p. 9.

[2]) v. 128 Wilamowitz corr. *ipso . . . . in oppido*, quam correctionem necessariam esse nego.

Atque postquam regina, ut mariti amorem sibi reconciliaret, vestem Nessi sanguine tinctam Lichae tradidit, domum eam redire elucet e v. 579/580:

> ipsa in penates regios gressus feram
> precibusque Amoris horridi matrem colam.

Interea chorus feminarum Calydoniarum a Deianira iussa (v. 581) ancipitem vitae statum canit[1], vixque hoc peregit, cum regina a choro annuntiata (v. 700 sqq.) e regia prodit et cum nutrice communicat, quas dubitationes quosque timores sibi donum Nessi iniecerit. Tum Hyllus advenit (v. 740) et quid vestis illa Nessi sanguine tincta effecerit narrat. Cuius narratione perterrita Deianira subito terram labare et regiam moveri putat (v. 1015) et ut scelus suum luat, mortem voluntariam obire constituit (v. 1021). Quae postquam discessit, chorus cantico interposito Herculem advenientem indicat (v. 1128 sqq.), neque habemus, cur chorum interea locum mutavisse arbitremur. Atque Hercules per totum tempus in scaena manet, dum Hylli narratione de veste ab uxore missa cognoscit sibi diem supremum venisse. Tum abit (v. 1517), et postquam chorus regem moriturum deploravit (v. 1518—1606), nuntius advenit et a choro interrogatus refert, quo modo Hercules mortuus sit (v. 1609 sqq.). Cuius narratione finita Alcmena urnam, quae cinerem mortui continet, manibus portans redit (v. 1758), et dum una cum Hyllo alternis verbis filium suum praedicat, vox Herculis auditur (v. 1940 sqq.), qui indicat se ad astra elatum esse, verbisque chori novo deo supplicantis tota fabula finitur.

Hanc igitur alteram partem tragoediae a priore eo vel maxime differre apertum est, quod in priore parte scaena ter mutatur, in altera autem, ut in fabula Sophoclea tota, idem locus, scilicet regia Trachinia, ab initio usque ad exitum retinetur.

§ 30. Atque cum actio totius alterius partis ante regiam ad finem perducatur, fieri non potest, ut hic locus ad omnes res, quae finibus tragoediae continentur, conveniat, sed quas poeta aliqua de causa ante oculos spectatorum proponere sive nolebat sive non poterat, eas per nuntios renuntiari facit, ut morbum Herculis, de quo nos Hyllus certiores facit (v. 749 sqq.), et mortem eius, quam nuntius describit (v. 1618 sqq.).

Vt in ceteris tragoediis ita in hac quoque personae primas partes agentes initio actionis poetae aliquo modo in scaenam producendae sunt; neque raro in ceteris fabulis fieri vidimus, ut omnino nullam causam cognoscere possemus, qua impulsi homines ante regiam progrederentur, quasi hoc loco nullus melior ad agendum inveniri posset[1]). Quod in Hercule Oetaeo quoque occurrit, in qua cur nutrix initio alterius partis declamatione Iolae finita prodeat (v. 233) non dixit poeta.

Itemque personae peregre advenientes non statim domum intrant, sed ante domum consistunt, quo efficitur, ut sequentes actus ante domum gerantur (cf. p. 26). In Hercule Oetaeo quoque Hercules ex Euboea reversus (v. 1130) non statim regiam ingreditur, sed ante domum alternis chori verbis interruptus dolorem suum deflet, qua re efficitur, ut Alcmena (v. 1337) et Hyllus (v. 1419) eum ante domum iacentem inveniant.

Aliud quoque artificium poeta ad loci unitatem observandam adhibet. Personas enim, quae ab aliis quaeruntur, iam antea prodeuntes fecit, quocum consentit, quod Deianira iam v. 700 sqq. domo exiit, ut cum nutrice angorem suum communicaret, qua re poeta id agit, ut Hyllus, qui brevi post (v. 740) advenit, eam in scaena morantem reperiat.

§ 31. Hactenus de artificiis, quibus unitas loci observatur; iam reliquum est, ut nonnulla de tempore addam.

Neque quemquam futurum esse puto, quin dicat poetae paullum interfuisse unitatem temporis in tragoedia, cuius singulae partes in regionibus diversissimis gerantur, vi rebus facta observari. Quae cum ita sint, tamen nullus locus tota in tragoedia nobis occurrit, quo demonstrari possit actionem unius diei spatium egredi. Conferamus igitur illos versus, in quibus temporis mentio fit. Atque prologum interdiu dici ex ipsis quidem Herculis verbis colligere non possumus, verisimile autem esse vix quisquam negabit; idemque cadit in chori prioris carmen et in Iolae declamationem. Prima autem Deianira diem esse indicat Solem his verbis obsecrans (v. 290/91):

summe pro rector deum
et clare Titan etc.

---

[1]) cf. p. 25.

In sequente actione Deianira timens, ne quid mali e veste Herculi missa oriatur, e regia progressa narrat Nessum sanguinem radiis solis exponi vetuisse, quod praeceptum se neglexisse (v. 722 sq.):

> et forte, nulla nube respersus iubar
> laxabat ardens fervidum Titan diem etc.,

quibus e versibus sequitur, ut vestis die claro sanguine tincta sit. Atque cum Hylli narratione comperit Herculem veste illa indutum gravem in morbum incidisse, exclamat (v. 968 sqq.):

> recede, Titan, tuque, quae blanda tenes
> in luce miseros vita: caritura Hercule
> lux vilis ista;

itemque (v. 1022 sqq.):

> testor nitentis flammeam Phoebi rotam
> superosque testor: Herculem in terris adhuc
> moritura linquo.

Atque diem esse, cum Hercules ex Euboea revertitur, ex Herculis ipsius verbis concludere possumus (v. 1131 sq.):

> converte, Titan clare, anhelantes equos,
> emitte noctem: pereat hic mundo dies,
> quo morior, atra nube inhorrescat polus.

Proferenda sunt etiam verba Hylli (v. 1419):

> pro lux acerba, pro capax scelerum dies

et verba Herculis abeuntis (v. 1512):

> perage nunc, Titan, vices
> solus relictus.

Hercule digresso chorus Solem precatur, ut Herculis laudem ubique propaget (v. 1518 sqq.):

> ô decus mundi, radiate Titan,
> . . . .
> dic sub aeternos properare manes
> Herculem et regnum canis inquieti etc.

In extrema quoque parte fabulae poeta temporis rationem habet: Alcmenam enim, quae cum cinere filii advenit, dicentem inducit (v. 1760):

o quanta, Titan, ad nihil moles abit.

Quibus locis cum nullus opponi possit, quo noctem intermitti demonstretur, mihi probatum esse videtur Senecam in hac tragoedia conscribenda unitatem temporis — certe inde a v. 233 — observavisse.

§ 32. Sed cum actio huius fabulae tribus regionibus peragatur, mirum esse non potest, quod poeta plus quam in ceteris tragoediis locorum et temporum intervalla neglegit. Vt silentio praeteream chorum Oechalia, si recte de unitate temporis iudicavi, uno die Trachinem pervenire, maiores discrepantiae exstant in altera parte tragoediae, quae est inde a v. 233. Deianira enim (v. 569 sqq.) Lichan cum veste sanguine tincta ad Herculem mittit, et ducentis versibus nondum peractis Hyllus reversus (v. 742) narrat Lichan in Euboea Herculem convenisse et ei vestem fatalem tradidisse, additque quo modo Hercules hac veste vexatus sit. Hoc igitur brevi tempore Lichas in Euboeam pervenit, Hercules veste induta in furorem incidit, Hyllus ab Euboea revertitur. Neque minus a probabilitate abhorret, quod Hercules, quem navigare Hyllus v. 839/840 dicit, brevi post (v. 1131) ante regiam stat. Quis hoc reputans non comoediae Plautinae, quae Captivi inscribitur, reminiscitur, in qua Philocrates ex Aetolia in Elidem proficiscitur (v. 460), unde eodem die revertitur (v. 921).

Quas discrepantias si consideramus, vel id parvi momenti esse videtur, quod Hercules, qui v. 1402 in somnum incidit, triginta versibus post (v. 1432) excitatur, et quod, dum chorus canticum 88 versuum (v. 1518 — 1606) canit, rogus Herculis erigitur et Hercules sibi mortem igne consciscit.

III. De Octavia praetexta.

Qua ultima Senecae fabula tractata restat, ut nonnulla addam de tempore et loco, qualia sint in Octavia praetexta, quae quamquam Senecae non attribuenda est, tamen quin haud ita multo post obitum eius conscripta sit dubitari non potest[1]).

[1]) cf. Ladek l. c.; Nordmeyer. Jahrb. f. Philol. Suppl. 19

§ 33. Ac primum intra quod tempus haec fabula peragatur, nobis erit examinandum.

Hac quidem in re Octavia a consuetudine plurimarum Senecae tragoedianum non abhorret, quod eius initium cum initio diei congruit, ut e primis versibus cognoscere possumus: cf. v. 1 sqq.:

iam vaga caelo sidera fulgens
Aurora fugat,
surgit Titan radiante coma
mundoque diem reddit clarum

itemque e v. 18 sqq.:

o lux semper funesta mihi,
tempore ab illo
lux es tenebris invisa magis.

Sed in sequente actione temporis omnino nulla mentio fit, dum ad sermonem venimus, quo Seneca Neroni frustra persuadere conatur, ut consilio Poppaeae in matrimonium ducendae desistat. Nero autem colloquium finit proximum diem nuptiis celebrandis his verbis statuens (v. 592):

quin destinamus proximum thalamis diem?

Quem diem nuptialem actione progrediente iam venisse e verbis et Octaviae et chori concludi potest: cf. v. 646 sqq.:

parcite lacrimis urbis festo
laetoque die, ne tantus amor
nostrique favor principis acres
suscitet iras vobisque ego sim
causa malorum:

cf. etiam v. 669 sqq.:

en illuxit suspecta diu
fama totiens iactata dies:
cessit thalamis Claudia diri
pulsa Neronis,
quos iam victrix Poppaea tenet.

Hac declamatione chori confecta nutrix Poppaeae et Poppaea ipsa prodeunt, et nutrix nuptiis descriptis interrogat (v. 711):

quid pallor iste, quid ferant lacrimae doce.

Tum Poppaea narrat se *proxima* nocte (v. 712) somnio horribili vexatam esse et sic pergit (v. 714):

laeta nam postquam dies
sideribus atris cessit et nocti polus,
inter Neronis iuncta complexus mei
somno resolvor; nec diu placida frui
quiete licuit; visa nam thalamos meos
celebrare turba est maesta; etc.

Quibus versibus constare mihi videtur de somnio agi, quod regina nocte nuptiali habuit. Atque reliquam actionem nulla altera nocte interposita peragi, sed continenter ad finem perduci neminem negaturum esse puto.

Tota igitur actio distribuitur in tres dies, quorum primus est pridie nuptias Neronis (v. 1—592), alter, qui initium capit a devotionibus Agrippinae, est dies nuptiarum ipse (v. 593—689), tertius, qui complectitur quae sequuntur versum 690, postridie nuptias est[1]).

§ 34. Quae si nobiscum reputaverimus, non mirabimur, quod in loci quoque unitate observanda non tanta diligentia quanta in eis fabulis, quas prima parte huius commentationis tractavimus, adhibita est. Neque quemquam fugiet priorem partem tragoediae Romae ante regiam agi. Nutrix enim, quae ante domum stat, vocem alumnae suae ex aedibus provenientem audit et dum secum reputat, num intret, regina ipsa progreditur: cf. v. 72 sqq.:

vox en nostras perculit aures
tristis alumnae; cesset thalamis
inferre gradus tarda senectus? etc.[2])

Feminarum colloquio et chori carmine finito subito Seneca (v. 377) et brevi post Nero (v. 438) adest, qui, quamvis philosophus vehementer resistat, se proximo die Poppaeam in matrimonium ducturum esse profitetur. Quo loco Senecae monologus et colloquium cum Nerone factum habeatur poeta nullo versu indicat; hoc autem statuere nos oportet poetam personas, quae

[1]) Idem sentit W. Braun, Die Tragödie Oktavia und die Zeit ihrer Entstehung, Kiel 1863, p. 11.

[2]) cf. etiam Leo, der Monolog p. 93.

primae in scaenam prodierunt, neque ullo modo sermone Neronis commotas repraesentasse neque abitum earum ullis verbis indixisse.

Alterius autem diei actionem iterum ante regiam geri ex Octaviae verbis concludere possumus (v. 665 sqq.):

> sed quid patrios saepe penates
> respicis udis confusa genis?
> propera tectis efferre gradus,
> linque cruentam principis aulam.

Neque alio loco Agrippinae devotiones, quae praecedunt, agi quamquam non certe affirmare, tamen optimo iure conicere possumus, praesertim cum in Thyeste et Agamemnone fabulis mortuorum umbrae, a quarum diris actio initium capit, simili modo ante aedes regias consistant.

Atque poetam, cum actionem tertii diei componeret, eam quoque ante regiam geri voluisse e primis nutricis verbis elucet; cf. v. 690:

> quo trepida gressum coniugis thalamis tui
> effers, alumna?

Postquam Poppaea somnium nutrici enarravit et summo timore commota deos oravit, ut omen iniquum noctis proximae benigne averterent, chorus alter[1]) pulchritudine dominae praedicata nuntium a praefecto missum annuntiat (v. 778 sq.), qui postquam custodibus aulae regiae imperavit, ut arcem contra furorem populi instantis defenderent, in regiam se confert, ut imperatori, quae gesta sint, iussu praefecti nuntiet (v. 804 sqq.). Interea cives seditiosi regiae appropinquant, quod verbis chori, qui turbam concitatam lenire studet (v. 806—819), edocemur; tum Nero ipse prodit et praefecto nuntianti seditionem oppressam esse mandat, ut Octaviam in remotam insulam in exilium ducat ibique trucidet (v. 874 sq.).

Haec igitur pars quin tota ante regiam agatur nemini dubium esse potest.

In extrema autem fabula, quae ultimas Octaviae lamentationes complectitur (v. 877 sqq.), nihil est, unde colligere possimus, qui

[1]) Chorum duplicem esse iam ante me contenderunt **Swoboda** l. c. t. III, p. 355 et **Ladek** l. c. p. 50.

locus repraesentetur; nam eundem esse atque in antecedente actione vel ea de causa verisimile non esse videtur, quod initio secundi diei regina cum comitibus regia iussu imperatoris decessit (cf. v. 669 sqq.). At cum navem, quae eam auferet, videat (v. 908) et ancoras solvi iubeat (v. 970) itemque cum chorus deos precetur, ut venti secundi eam prosequantur (v. 973 sqq.), facile suspicio movetur hanc partem in portu Ostiensi agi.

Quae omnia si iterum animo percurrimus, statuere possumus corpus tragoediarum Annaeanarum dividi in tres partes, quarum una complectitur sex illas fabulas, in quibus temporis et loci unitates summo studio observantur, altera eas, in quibus sola temporis unitas retinetur, scilicet Phoenissas, Troades, Herculem Oetaeum, siquidem hanc fabulam ita interpretandam esse mihi concedis (cf. p. 39 sqq.), tertia Octaviam praetextam continet, in qua neque temporis neque loci unitatum ratio habetur.

Vita.

Natus sum Adolphus Marek die XXI. mensis Octobris anni 1884 Glivitziae patre Emanuel, matre Emilia e gente Winkler, quos ambos adhuc salvos esse valde gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum elementis imbutus gymnasium Glivitziense adii, quod vere anni 1903 testimonium maturitatis adeptus reliqui, ut in universitate Vratislaviensi studiis philologicis navarem. Philosophorum ordini adscriptus per duodecim semestria scholas frequentavi.

Docuerunt me viri doctissimi: *Baumgartner*, *Cichorius*, *Ebbinghaus* †, *Foerster*, *Hoffmann*, *Jacoby*, *Kampers*, *Kaufmann*, *Muther* †, *Nikel*, *Norden*, *Skutsch*, *Stern*, *Volz*, *Wendland*, *Zacher* †, *Ziekursch*.

Per tria semestria proseminarii philologici et archaeologici exercitationibus interfui; seminariorum philologici, archaeologici, historici fui sodalis ordinarius moderantibus Foerstero, Skutschio, Wendlandio, Cichorio.

Quibus omnibus iustas ac debitas et nunc ago gratias et semper habebo, maximas vero Skutschio, qui me et ad hanc dissertationem scribendam incitavit et in hoc opusculo perficiendo opera et consilio benignissime adiuvit.